AUTHOR:

ROSSBACH, AUGUST

TITLE:

DE METRO PROSODIACO COMMENTATIO

PLACE:

[BRESLAU?]

DATE:

1857

Master Negative #

93-81213-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Rossbach, August, 1823-1898
De metro prosodiaco commentatio I. [Breslau?] 1857.
24 p. 24 cm.

Index lectionum, Breslau university, 1857.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-25-93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 2

INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM A. MDCCCLVII.

A DIE XX. MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

2

PRAEMISSA EST A. ROSSBACHII DE METRO PROSODIACO COMMENTATIO I.

TYPIS ACADEMICIS.

RECTOR ET SENATUS
S. P. D. COMMILITONIBUS.

Inveterata multorum hominum est opinio, vel eorum qui litterarum Graecarum expertes non sunt, vix quidquam in toto antiquitatis genere magis esse ieiunum magisve aridum, quam metrorum veterum tractationem. Ecquidnam aliud est syllabas numerare ac ponderare nisi res levissimas aucupari? Est sane haec ars non ea quae oculos feriat volgique teneat coetus, sed insignem tamen dulcedinem habet et venustatem plurimumque ad liberalem ingenii cultum conferre potest. Nolumus repetere quod omnibus qui antiquitatis studia probe tuentur decantatum est, non posse poetas Graecos nec redintegrari nec explicari nisi ab eo qui artis metricae doctrinam penitus cognitam habeat: hoc tantum commemorandum videtur, aliter ipsos Graecos de illa re iudicasse. Hi enim divinam quandam vim ac naturam rhythmis credunt insitam, quibus tanquam coelestibus concentibus mortalium animi a prava rerum fragilium aviditate deducti ad divina sublimiaque contemplanda conformentur, gestientes et effusi coerceantur ac deliniantur, ignavi et segnes ad virtutum aemulationem agendique alacritatem impellantur. Nam ut ex magno exemplorum numero unum tantum proferam quod in medio positum est, Timaeus Platonicus *ἡ δὲ ἁρμονία* inquit *τῷ μετὰ νοῦ προσχρωμένῳ Μούσαις οὐκ ἐφ᾽ ἡδονὴν ἄλογον καθάπερ νῦν εἶναι δοκεῖ χρήσιμος, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὴν γεγονυῖαν ἐν ἡμῖν ἀνάρμοστον ψυχῆς περίοδον εἰς κατακόσμησιν καὶ συμφωνίαν ἑαυτῇ σύμμαχος ὑπὸ Μουσῶν δέδοται· καὶ ῥυθμὸς αὖ διὰ τὴν ἄμετρον ἐν ἡμῖν καὶ χαρίτων ἐπιδεᾶ γιγνομένην ἐν τοῖς πλείστοις ἕξιν ἐπίκουρος ἐπὶ ταὐτὰ ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἐδόθη.* Quodsi philosophi graeci singulorum metrorum indolem quod *ἦθος* dicunt diligenter indagare operae pretium duxerunt, ut Plato in reipublicae lib. III. p. 400, nonne eorum qui metricos se profitentur culpa factum est, ut inveniantur hac aetate qui hoc totum genus studiorum exsangue et strigosum arbitrentur? Quod ignoratur contemnitur, quod contemnitur id vero negligitur. Nequaquam enim earum rerum quas nescire turpe est necessitate terminari debet artis metricae modus: immo latius nobis patefactum est stadium ita quidem ut non

solum ea tractemus sine quibus omnis poetarum cognitio titubat, sed in artificiosas quoque carminum complexiones et in metrorum universam memoriam inde a primo ortu usque ad decursum inquiramus acrique eruamus studio quae singulorum poetarum propria sint ac peculiaria. Quae nisi peracta fuerint, spes non est fore ut admirabilem illam quam philosophi Graeci praedicarunt rhythmorum artem animis sentiamus. Et in hoc quidem stadio plurimis opportuna rite currendi et de praemio certandi occasio oblata est, quum tantum absit ut Godofredus Hermannus vir immortalis gloriae disciplinam metricam plane perfecisse sit censendus, ut etiamsi multa praestiterit et egregia, tamen plura videatur eaque longe graviora nostrae posteraeque aetati praestanda reliquisse. Res admodum est difficilis et spinosa, non enim limina solum poetarum et vestibula pateant necesse est, sed intima etiam penetralia, suntque grammaticorum libri, quamvis permulta commenta et nugas contineant, assiduo studio pervestigandi. Ex quibus nostris hominibus ea tantum cognita esse solent quae a G. Hermanno sunt prolata, sed plurima tamen in iis abdita et occulta iacere, quibus in restituenda arte metrica optime uti possis, multis potest exemplis declarari. Haec qui refugerit, is rhythmorum Graecorum dulcissimum fructum percipere non poterit, nam dulcia amaris permixta, aspera mollibus, et ut fit in omnibus litteris sic in metrica quoque arte contentio et quasi quidam sudor antecedit gratiam et delectationem.

Sed de hac re et nuper satis expositum arbitramur et alio exponetur tempore, nunc praeludendi officio ad scribendum adducti metrum prosodiacum vel enoplium illustrare constituimus, quippe quod hoc metro quae modo diximus demonstrari et confirmari posse confidamus. Primum enim quale sit id metrum et quid veteres de eo tradiderint parum est intellectum eaque res accuratiore grammaticorum et rhythmicorum indagatione indiget, deinde quae fuerit origo atque usus inde a primordiis usque ad senescentis Graeciae aetates persequi licet, nec deest unde qualis sit indoles moralis, quacum poetarum usus prorsus consentit, possit enucleari. De hoc autem prosodiaci *ἤθει* iam Plato disseri iussit rep. 3 p. 400 ubi quaerit qui in perfectam illam quam animo finxit et cogitatione rempublicam, admittendi sint rhythmi, qui exterminandi: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ μέτα Δάμωνος βουλευσόμεθα, τίνες τε ἀνελευθερίας καὶ ὕβρεως ἢ μανίας καὶ ἄλλης κακίας πρέπουσαι βάσεις καὶ τίνας τοῖς ἐναντίοις λειπτέον ῥυθμούς· οἶμαι δέ με ἀκηκοέναι οὐ σαφῶς ἐνόπλιόν τέ τινα ὀνομάζοντος αὐτοῦ ξύνθετον καὶ δάκτυλον καὶ ἡρῷόν γε.* Et pervulgatissimum fuisse illud quidem metrum locus ostendit Aristophaneus Nub. 651. Fingit enim comicus poeta Socratem quasi artis musicae magistrum metrorum rhythmorumque elementa docentem eumque postquam discipulum interrogavit

ἄγε δή, τί βούλει πρῶτα νυνὶ μανθάνειν
ὧν οὐκ ἐδιδάχθης πώποτ᾽ οὐδέν; εἰπέ μοι,
πότερον περὶ μέτρων ἢ ῥυθμῶν ἢ περὶ ἐπῶν;

haec loquentem

πρῶτον μὲν εἶναι κομψὸν ἐν συνουσίᾳ,
ἐπαΐονθ᾽ ὁποῖός ἐστι τῶν ῥυθμῶν
κατ᾽ ἐνόπλιον, χὠποῖος αὖ κατὰ δάκτυλον.

Ex quo intelligitur prosodiacum vel enoplium pariter ac trimetrum tetrametrum heroum in omnium Graecorum qui quidem liberali eruditione utebantur ore ac sermone fuisse, adeo ut vel puerilis aetas quae prima artis musicae institutione ad humanitatem formabatur ea metra primum edoceretur. In tanta prosodiaci dignitate ac praestantia mirandum videtur, apud nostros hoc metrum diu obscuratum iacuisse et incultum. Nam G. Hermannus vix primoribus ut aiunt labellis eam rem delibavit accuratiora non curans, post Hermanni autem Boeckhiique praeclarissimam operam ita refrigerata sunt artis metricae studia, nemo ut inveniretur qui huc animum adverteret, donec Friderici Ritschelii insigni sollertia *) effectum est ut iure quodam postliminii in sedes suas rediret pristinamque recuperaret dignitatem. Cuius viri illustrissimi disputatione quamquam vehementer me animo commotum libentissime confiteor et in hanc viam deductum, tamen sunt in quibus aliter ego sentiendum existimem. Enimvero quum tres sint prosodiaci, dimeter trimeter tetrameter, quorum primus incompositus et simplex, reliqui compositi sunt: qui ante nos hanc rem tractarunt praeter unum I. A. Hartungium **) qualis sit simplex prosodiacus ignorant omnes, dicentes hanc esse eius formam

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–⏓

quae omnino non est in prosodiacorum numero; compositorum autem nullum norunt nisi hunc

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–⏓–́⏑–⏑–⏓

qui est tetrameter. Haec et alia quae ad universam prosodiaci memoriam pertinent, quum nuper nobis sint explanata, tamen ita sunt pro libri nostri consilio ac conditione coarctata et peranguste compressa, facile ut possint, praesertim quum nova sint, aliorsum torqueri. Placet igitur nequid temere aut inconsiderate egisse videamur, nostram tueri sententiam, non impugnatam illam quidem, sed quae possit tamen impugnari, iuvabitque addere haud pauca in libro nostro aut ob chartarum angustias praetermissa aut nimia dicendi brevitate non satis elata. Ac primum quidem dicatur de simplici prosodiaco.

I. Metrici quid de prosodiaco simplici tradiderint.

Ex veterum metricorum praeceptis non solum dactylici sed etiam anapaestici metri tria genera esse constat, quorum *primum* est illud quod dicitur *καθαρόν*, in quo omnes pedes aut

---

*) Nov. Mus. Rhen. vol. I. p. 277.
**) Diar. antiq. a. MDCCCXVII. p. 872.

anapaesti sunt aut arsium solutione thesiumve contractione ex anapaestis orti, *secundum* genus
cuius primus pes iambus vel spondeus, ceteri anapaesti sunt, *Αἰολικὸν ἀναπαιστικὸν* vocatur.
Sic enim Tricha p. 21 *τὸ μὲν καθαρὸν ἀναπαιστικὸν ὅπερ κατὰ πᾶσαν χώραν δέχεται ἀνά-*
παιστον καὶ σπονδεῖον, σπανίως δὲ καὶ προκελευσματικόν, ὅς ἐστίν ἐκ τεσσάρων βραχέων, καὶ
δάκτυλον· τὸ δὲ αἰολικὸν ἀναπαιστικὸν ὅπερ ἰαμβικὸν ἕνα ἐν τῇ ἀρχῇ, τοὺς δὲ λοιποὺς ὁμοίους τῷ
κυρίῳ ἀναπαιστικῷ. Hephaestio vero quum metricam artem *ἐγχειριδίῳ* strictim tantum et cursim
pertractet omninoque metrorum partitiones obiter tantum attingat, duo illa anapaestorum
genera non distinguit eamque ob causam iambum ait in universum posse in anapaesti locum
succedere, id quod de anapaestis aeolicis, quos a puris non segregat sed una cum his opponit
logaoedicis, dictum esse sponte apparet. Est autem anapaestis illis non ideo nomen Aeolicis
inditum, quoniam Aeolensium potissimum poetarum ore et carmine viguerint, de qua re nihil
memoriae traditum est, sed quod eorum cum dactylis Aeolicis, qui et ipsi a *βραχυσημοτέρῳ* pede
incipiunt, summa est similitudo. *Tertium* anapaestorum genus complectitur logaoedicos quorum
in numero referuntur ii qui ab anapaestis ordientes in iambos desinunt, nec minus logaoedici
appellantur qui in mediis tantum sedibus anapaestos recipiunt, reliquis et primis et postremis
iambos adsciscunt. De his Aristides Quinctilianus p. 53 haec: *τὸ ἀναπαιστικὸν ἐπιδέχεται καὶ τὴν*
τῶν λογαοιδικῶν μέθοδόν τε καὶ χρῆσιν, οὐ κατὰ τὰς πρώτας χώρας μόνον πόδας δισυλλάβους βρα-
χυσημοτέρους παραλαμβάνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὰς τελευταίας τὸν βακχεῖον. In qua re meminerimus
logaoedicos neque anapaestos neque dactylos a veteribus metricis dici nisi duo vel plures dactyli
vel anapaesti nullo interiecto trochaeo vel iambo se excipiant, contra qui nostra aetate metricam
artem profitentur, imprimis Augustus Boeckhius summus litterarum Graecarum antistes, iis lo-
gaoedici numeri nomen latius patere et eos quoque versus qui unum tantummodo dactylum
vel anapaestum habent velut hendecasyllabum Sapphicum et Alcaicum, quorum alterum metrici
veteres epichoriambicum, alterum epionicum a maiore appellarunt, eodem nomine comprehen-
sos teneri. Eiusmodi enim versus tetrasyllabis pedibus metiri solent veteres, de rhythmi ratio-
nibus numerique vi ac natura plane non solliciti, ita quidem ut numeros ab arsi incipientes ad
antispastorum et choriamborum, a thesi incipientes ad ionicorum normam redigant. Quae men-
sura ut ubique adhiberi possit placet illis posse ionicum a maiore paeonis secundi formam in-
duere vel quod idem est *ἀπ' ἀδιαφόρου* facere initium. Quapropter hos tres ordines qui sunt
e genere logaoedico

⏒ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –

⏒ –́ ⏑ – ⏒ – ⏑ ⏑ –

⏒ –́ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

sic in membra dispertiunt nominantque

⏒ – ⏑ ⏑ | – ⏑ – ⏑ | –	*ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονος*	*δίμετρον ὑπερκατάληκτον.*
⏒ – ⏑ – | ⏒ – ⏑ ⏑ | –	*ἐπιωνικὸν ἀπὸ μείζονος*	
⏒ – ⏑ – | ⏑ ⏑ – ⏑ | –	*ἐπιωνικὸν ἀπ' ἐλάσσονος*	

Fuerunt etiam qui non tetrasyllabis sed disyllabis pedibus id genus versuum metirentur, velut Aristides Quinctilianus p. 37 qui ut unius exempli defungamur commemoratione ordinem Glyconeum

⏓ ⏒ – ⏑ ⏑ – ⏑ –

quem plerique grammatici ex antispasto et diiambo conflatum docent

⏒ ⏓ – ⏑ | ⏑ – ⏑ –

e trochaeo vel iambo, trochaeo, duobus iambis mavult coaluisse.

His praemissis et expositis veniamus ad prosodiacum vel enoplium, ad quem utraque illa mensura et tetrasyllaba et disyllaba translata est. Tetrasyllabam qui sequuntur prosodiacum ex ionico a maiore et choriambo coagmentatum tradunt

⏓ – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ –,

disyllabam vero qui praestare putant, e spondeo vel iambo, pyrrhichio, trochaeo, iambo

⏓ – | ⏑ ⏑ | – ⏑ | ⏑ –

Utraque autem mensura nihil significari quidquam nisi syllabarum decursum vel *σχῆμα*, rhythmique indolem prorsus negligi, nemo ne mediocriter quidem doctus ignorat. Nam si prosodiacus versus ex rhythmi rationibus computatur, anapaestica tripodia dicatur necesse est, nec pura illa quidem, sed ex genere aeolico, quippe quae primum pedem aut spondeum aut iambum habeat vel quod eodem redit, ab ancipiti thesi ordiatur

⏒ –́ | ⏑ ⏑ –́ | ⏑ ⏑ –́

Cuius sententiae, ut ab ipsis veteribus repetamus praesidium, vocandi sunt testes. Primus prodeat *scholiasta metricus ad Aristophanis* Nub. v. 651 qui tres illas mensuras uno loco complectens primum disyllabam, deinde anapaesticam, denique tetrasyllabam perhibet: *ὁ δὲ ἐνόπλιος καὶ προσοδιακὸς λεγόμενος ὑπό τινων σύγκειται ἐκ σπονδείου καὶ πυρριχίου καὶ τροχαίου καὶ ἰάμβου· συνεμπίπτει δὲ οὗτος ἤτοι τριποδίᾳ ἀναπαιστικῇ ἢ βάσεσι* (h. e. dipodiis) *δυσὶν ἰωνικῇ καὶ χοριαμβικῇ.* Tetrasyllabam mensuram praefert *scholiasta metricus Pindari*, apud quem creberrima est prosodiaci mentio ut Olymp. 3. 7. 8. 10. 12. Tum *Bacchius* nominandus est qui disyllaba usus est mensura, sic enim hic de musica p. 25: *ἐνόπλιος ἐξ ἰάμβου καὶ ἡγεμόνος* (h. e. pyrrhichio) *καὶ χορείου καὶ ἰάμβου, οἷον*

ὁ τὸν πίτυος στέφανον.

Aristides Quinctilianus prosodiacum pedibus metitur et disyllabis et tetrasyllabis, sed quae dicit adeo difficultatibus sunt agitata ut uberiore disputatione egeant. Apud hunc p. 39 sic scriptum invenitur: *Γίνονται καὶ οἱ καλούμενοι προσοδιακοί. τούτων δὲ οἱ μὲν διὰ τριῶν συντί-*

θενται ἐκ πυρριχίου καὶ ἰάμβου καὶ τροχαίου· οἱ δὲ διὰ τεσσάρων ἰάμβου τῇ προειρημένῃ τριποδίᾳ προςτιθεμένου· οἱ δὲ δύο συζυγιῶν βακχείου τε καὶ ἰωνικοῦ τοῦ ἀπὸ μείζονος, quae latine vertit Martianus Capella p. 197: Fiunt autem numeri qui et prosodiaci vocantur, quorum alii per ternos pedes fiunt, pyrrhichio, iambo et trochaeo, alii vero quatuor, ut his tribus pedibus iambus primus aptetur, alii vero ex duabus syzygiis id est copulis bacchio et ionico *ἀπὸ μείζονος* constare consuerunt.

Ex Aristidis verbis tres evadunt prosodiaci

οἱ διὰ τριῶν ⏑⏑ | ⏑ – | – ⏓

οἱ διὰ τεσσάρων, qui addito iambo ex prima forma proficisci dicuntur

⏑⏑ | ⏑ – | – ⏑ | ⏑ –

οἱ διὰ συζυγιῶν – ⏑ ⏑ – | – – ⏑ ⏑, etenim *βακχεῖον* nominat Aristides choriambum aut antispastum de quo ipse exposuit p. 37: *βακχεῖοι δύο, ὧν ὁ μὲν πρότερον ἔχει τὸν ἴαμβον, δεύτερον δὲ τὸν τροχαῖον, ὁ δὲ ἐναντίως.* At falsa haec sunt perspicue reliquorumque metricorum praeceptis vehementer repugnantia. Quapropter vitiosi aliquid hic delitescere rati salutem incolumitatemque loci Aristidei quaesiverunt homines docti divinando. Et Fridericus quidem Ritschelius hoc modo ea redintegrare conatus est ut verba quibus Aristides *τοῦς διὰ τριῶν* describit

ἐκ πυρριχίου καὶ ἰάμβου καὶ τροχαίου

sic transponeret

ἐκ πυρριχίου καὶ τροχαίου καὶ ἰάμβου

⏑⏑ | – ⏑ | ⏑ –

Ipse tamen huius mutationis suasor confitetur, nequaquam primam formam emergere talem quae iure ad prosodiacos referri possit, ex secunda vero, quam addito iambo ex prima Aristides prodire dicit, traiectione illa facta praepositoque iambo nasci ait Fr. Ritschelius prosodiacum

⏑ – | ⏑⏑ | – ⏑ | ⏑ –

At vero eam quaeramus necesse est verborum traiectionem, qua una et primae et secundae formae obscuritates discutiantur, nec placet *προςτιθέμενον ἴαμβον* a Fr. Ritschelio cum Martiano Capella interprete esse intellectum p r a e positum iambum, quem si significare voluisset Aristides, nostro quidem arbitratu dixisset *π ρ ο τ ι θ έ μ ε ν ο ν*: p o s t positus potius intelligendus est iambus h. e. in versus exitu additus. Quare verba quibus Aristides primum prosodiacum describit, sic traiecimus

ἐξ ἰάμβου καὶ πυρριχίου καὶ τροχαίου

unde haec forma oritur

⏑ – | ⏑⏑ | – ⏑

secundus autem quippe qui addito iambo ex primo ortus dicatur, hanc refert speciem

⏑ – | ⏑⏑ | – ⏑ | ⏑ –.

Iam patet, secunda forma eum contineri versum qui vulgo a veteribus prosodiacus appellatur ad disyllabam mensuram revocatus; prima vero forma est prosodiacus catalecticus qui optimo iure ab Aristide commemoratur, quoniam una cum acatalecto saepissime eum apud poetas, potissimum in exitu systematis, locum tenere cernimus. Nec habet catalectici commemoratio ullam offensionem praesertim quum hypercatalectus quoque prosodiacus a metricis veteribus nominetur de quo infra disputabimus.

Tertiae denique formae quam Aristides ex choriambo et ionico consociatam refert, Fr. Ritschelius nec transpositionem temptat nec ullam mutationem, sed consentire hanc formam cum ea contendit cui reliqui metrici prosodiaci nomen tribuere videantur, esse igitur prosodiacum, cuius arses prima et tertia solutae, theses contractae sint. At cur Aristides non simplicem formam posuit, quemadmodum hoc semper fieri solet, sed formam arsium solutione thesiumque contractione sic quasi deformatam ac foedatam vix ut qualis versus intelligendus sit perspici queat? Quid? Hephaestionis doctrina nonne vetat, theses prosodiaci contrahi ita ut in hac re prosodiaci et Archilochei paroemiaci discrimen cernatur? Haec enim Hephaestio p. 89 Gaisford. ed. II.: *καὶ μέντοι καὶ τοὺς σπονδείους παρῃτήσαντο τοὺς ἐν τῷ μέσῳ οἱ μετὰ τὸν Ἀρχίλοχον, οὐχ ὡς ἀναπαιστικὸν ἡγούμενοι ἀλλὰ προσοδιακόν, τὸ ἐξ ἰωνικῆς καὶ χοριαμβικῆς, τῆς ἰωνικῆς καὶ βραχεῖαν τὴν πρώτην δεχομένης*, idemque p. 91: *εἰ μὴ ἄρα ἐν τῷ προσοδιακῷ ἡ συναίρεσις τοῦ ἰωνικοῦ τοῦτ' ἔστιν ὁ μολοσσὸς μὴ ἐμπίπτοι*, quae perverse interpretatus est scholiasta, qui Archilochi prosodiacos hyporchematicos intelligens sic scribit: *Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ προσοδιακὸν δέχεται ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονος, παίωνα δεύτερον ἢ μολοττὸν καὶ χορίαμβον ὅπερ ἀποβολῇ τοῦ πρώτου ποδὸς ποιεῖ ἀναπαιστικὸν τὸ ἑξῆς.* Haec si recte sunt disputata, quae nostro quidem arbitratu convelli et labefactari non possunt, consequitur ut ea quoque verba, quibus Aristides tertiae formae fecit mentionem, labem contraxisse censenda sint. Nobis quidem Aristideum illud *οἱ δὲ δύο συζυγιῶν, βακχείου τε καὶ τοῦ ἰωνικοῦ ἀπὸ μείζονος* comparandum videtur cum iis quae scholiasta ad Nub. v. 651 tradidit *σύγκειται βάσεσιν δυσίν, ἰωνικῇ καὶ χοριαμβικῇ*, neque enim dubitari potest, quin *δύο συζυγίαι* eaedem sint atque *δύο βάσεις*, quum dipodia modo *συζυγία* modo *βάσις* nominetur, *βακχεῖος* autem Aristideus plane conveniat cum choriambo scholiastae, de qua re iam supra expositum est. Hinc efficitur ut hi scriptores prorsus inter se concinant nisi quod apud Aristidem choriambus vel baccheus et ionicus perverso ordine collocati sunt; quumque scholiasta vera tradidisse appareat, ea constringimur necessitate ut verba Aristidea ad illius normam redigamus et emendemus. Itaque in libro quem de arte rhythmica Graecorum scripsimus, verba illa sic transposuimus

οἱ δὲ δύο συζυγιῶν, ἰωνικοῦ τε ἀπὸ μείζονος καὶ βακχείου,

ut plane Aristides consentiat cum scholiasta dicente

σύγκειται βάσεσιν δυσὶν, ἰωνικῇ καὶ χοριαμβικῇ.

Ex iis igitur quae a nobis exposita sunt elucet prosodiacum *διὰ συζυγιῶν* eundem esse ac prosodiacum *διὰ τεσσάρων,* alterum longa, alterum brevi anacrusi incipientem itidemque alterum tetrasyllaba, disyllaba alterum mensura dispertitum, quam utramque mensuram etiam ab interprete Aristophaneo memoriae proditam supra docuimus.

Postremo loco nominandus *Hephaestio* qui de versibus Archilocheis disserens commemorat prosodiacum narratque p. 88: Archilochum *ἐξ ἀναπαιστικοῦ ἐφθημιμεροῦς* quem numerum p. 51 paroemiacum nominavit, et ex ithyphallico versum pepigisse in quo pro primo anapaesto aut spondeum aut iambum, pro ceteris anapaestis spondeos admiserit stabilique ante quartam arsin caesura utrumque ordinem seiunxerit

⏓ –́ ⏔ – ⏔ – ⏓ || –́ ⏑ – ⏑ – ⏒ ;

eos autem qui deinceps secuti sint poetae, imprimis comici, hanc instituisse eius versus mutationem, ut medios spondeos refugerent caesuramque post tertiam quoque arsin locarent

⏓ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – || ⏓ –́ ⏑ – ⏑ – ⏒

utpote qui priorem versus ordinem non *ἀναπαιστικὸν πενθημιμερὲς* h. e. paroemiacum, sed prosodiacum putarent qui ex ionico a maiore et choriambo coaluerit. Hinc sequitur et efficitur id quod strenue tenendum est, ut ex Hephaestionis arbitrio prosodiacus versus non possit confundi cum anapaestica penthemimeri, immo una syllaba sit brevior, namque prosodiacum hoc habere *σχῆμα*

⏓ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –

paroemiacum autem ab ancipiti incipientem hoc

– –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏓

Huc duplex accedere discrimen, posse enim in anapaestica penthemimeri breves syllabas in longas contrahi, in prosodiaco non posse, deinde fieri plerumque ut anapaestica penthemimeris in anapaestos pedes, prosodiacus in ionicum a maiore et choriambum dividatur quamquam hic quoque si a longa anacrusi ordiatur, ut Sapphus illud

αὐτὰ δὲ σὺ Καλλιόπα

ad anapaesticam mensuram revocari possit.

Haec ille, quae etsi satis distincte et distribute exposita sunt, tamen ab omnibus qui de hac re scripserunt, prave sunt intellecta, quum hunc ordinem

⏓ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏒

dici prosodiacum opinarentur. Nam quos Archilochus fecit versus, quum ante ipsam quartam arsin recipiant caesuram, ex Hephaestionis doctrina nequaquam continent prosodiacum, continent autem comicorum versus, qui sunt caesura post tertiam arsin illata in membra distincti

	ἀναπ. ἐφθημ.	*ἰθυφαλλ.*
versus Archilocheus	⏓ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏓	–́ ⏑ – ⏑ – ⏒
versus comicorum	⏓ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –	⏓ – ⏑ – ⏑ – ⏒
	προσοδιακ.	*ἰαμβικ.*

De qua re scholiasta Hephaestionis p. 90 postquam Eupolidis versum attigit

ὦ δέσποτα καὶ τάδε νῦν ἄκουσον ἅν λέγω σοι,

sic disserit: *ἐφθημιμερὲς ἰαμβικὸν τῷ προσοδιακῷ τῷ καθαρῷ ἐπιμέμικται καὶ προσοδιακὸν ὁμοίως καλεῖται.* Compositi sunt igitur comicorum versus ex prosodiaco et iambica hephthemimeri quemadmodum etiam Hephaestio tradidit.

Sed novi aliquid de quo Hephaestio ceterique tacent quos enumeravimus testes, affert scholiasta: eum quoque versum qui a prosodiaco puro adiecta iambica hephthemimeri prognatus sit, eodem nomine atque simplicem *προσοδιακὸν* appellari. Totam scholiastae sententiam repetamus: *ἔσθ᾽ ὅτε γὰρ καὶ τὰς ἰαμβικὰς ἐπιμιγνύουσι ταῖς κατειλεγμέναις συζυγίαις τῇ τε ἰωνικῇ καὶ τῇ χοριαμβικῇ πάλιν προσοδιακὸν καλοῦντες, ὥσπερ Εὔπολις ἐν ταῖς πόλεσιν, ὦ δέσποτα καὶ τάδε κτλ. ἐφθημιμερὲς γὰρ ἰαμβικὸν τῷ προσοδιακῷ τῷ καθαρῷ ἐπιμέμικται καὶ προσδιακὸν ὁμοίως καλεῖται· ἰστέον δὲ ὅτι τὸ προσοδιακὸν δέχεται ἰωνικὸν ἀπὸ μείζονος, παίωνα δεύτερον ἢ μολοττὸν καὶ χορίαμβον· ὅπερ ἀποβολῇ τοῦ πρώτου ποδὸς ποιεῖ ἀναπαιστικὸν τὸ ἑξῆς.* Discernuntur igitur *προσοδιακοὶ καθαροὶ* vel simplices et *προσοδιακοὶ* ut metricorum more loquamur *ἐπίμικτοι κατ᾽ ἰαμβικάς.*

II. Metrici quid de prosodiacis compositis et anaclomenis tradiderint.

Sed venimus ad eum locum quo de compositis prosodiacis disputandum est qui locus a recentioribus aut plane est praetermissus aut certe ita tractatus ut intactus videatur. Est enim non unus compositus, sed sunt plures iique a veteribus grammaticis saepissime commemorati. Ac primum quidem dicamus de iis qui sunt cum iambis conflati.

Προσοδιακὸν καθαρὸν quum ex duabus syzygiis vel *βάσεσιν* constare videatur, *δίμετρον* dicitur, ut schol. Pind. Ol. 3, 1: *προσοδιακὸν ἀπὸ μείζονος δίμετρον ἀκατάληκτον:* isque numerus si cum iambis coniungitur aut monometrum acatalectum aut hypercatalectum aut dimetrum catalecticum vel iambicam hephthemimerem adsciscit. Et cum monometro acatalecto consociatus ille quidem, quoniam ex tribus dipodiis, una ionica, altera choriambica, tertia iambica conflatus habetur, *προσοδιακὸν τρίμετρον ἀκατάληκτον* vocatur

προσοδ. διμ. *ἰαμβ.*

⏓–⏑⏑, –⏑⏑– | ⏓–⏑–

ἰωνικ. χοριαμβ.

προςοδιακ. τριμετρ.

Eam rem testantur scholia vetera Pindari permulta ut Ol. 3 v. 2: *κλεινὰν Ἀκράγαντα γεραίρων εὔχομαι.* Hic versus si una auctus est syllaba, vocatur *προςοδιακὸν τρίμετρον ὑπερκατάληκτον*, nam prosodiaco dimetro adiectus est monometer iambicus hypercatalectus

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–⏓–́⏑–⏓

Quum simplici prosodiaco additur *ἰαμβικὸν ἑφθημιμερὲς* evadit metrum hoc

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–⏓–́⏑–⏑–⏓

de quo quae ab Hephaestione eiusque scholiasta prolata sunt, iam supra memoravimus; dicitur autem *προσοδιακὸν ὑπορχηματικόν*, ut legimus apud Plotium p. 2664: prosodiacum hyporchematicum fit syllaba et penthemimerico dactylico et syllaba et tribus trochaeis h. e. ithyphallo; idque nomen ei esse optimo iure datum, declarat Vesparum exodus v. 1518. Diomedis vero verba p. 518: Archilocheum trimetrum Varro illud dicit quod est tale

ex littoribus properantis navibus recedunt,

sic corrigenda: Archilocheum tetrametrum, id quod vel Hephaestionis auctoritas suadet p. 47: *πρῶτος δ' Ἀρχίλοχος ἐχρήσατο τῷ μεγέθει τούτῳ* (h. e. *τῷ παροιμιακῷ*) *ἐν τοῖς τετραμέτροις προτάξας αὐτὸ τοῦ ἰθυφαλλικοῦ*; profecto hyporchematicum prosodiacum est tetrametrum, quod ut quatuor dipodiis metiamur veterum metricorum doctrina flagitat, ionico a maiore, choriambo, duobus diiambis et acatalecto et catalectico

⏓–⏑⏑ | –⏑⏑– | ⏓–⏑– | ⏑–⏓

Praeterea de eodem metro loquuntur Servius p. 1825, Terent. Maur. v. 1839, Mar. Victor. p. 2580. 2581, Athenaeus 10,525 d.

Neque vero his quos diximus prosodiacorum numerus definitus est, etenim nonnullis locis vel ordines dactylici et dactylotrochaici eodem nomine comprehenduntur. Nam quum haec esset apud veteres metricos lex, ut dipodiis decurreret prosodiacus abstineretque thesium contractione, et quum saepenumero praecipue in iis strophis quas nostri homines Doricas nominare consueverunt, cum dactylicis tripodiis prosodiacus consortium quoddam iniret, factum est, ut haec quoque tripodia dactylica

–⏑⏑–⏑⏑––

quae et ipsa thesium contractionem aversatur, pariter in dipodias digereretur, choriambicam et ionicam a minore

–⏑⏑– | ⏑⏑––

ideoque *προσοδιακὸν ἀνακλώμενον* nuncuparetur schol. Pind. Ol. 3. Est autem hic ordo dimeter; sin trochaica dipodia praegreditur trimeter. Sed de his fusius dicemus, quum de prosodiacis Pindaricis agetur, hoc loco satis sit memorasse, vel hoc heroum

–⏑⏑–⏑⏑–́–́–⏑⏑–⏑⏑––

quoniam ex duobus enopliis anaclomenis compositum videbatur, *κατ' ἐνόπλιον* esse vocatum.

Apparet igitur ex iis quae disputavimus, recte a Fr. Ritschelio versum

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–́–́⏑ ⏑–⏓

prosodiacum appellatum esse, nequaquam tamen quemadmodum idem vir egregius sensit ei quoque versus parti quae ex octo prioribus syllabis constat prosodiaci nomen a veteribus assignatum

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–;

nusquam enim a quoquam veterum hoc factum, paroemiacus potius versus ille existimandus est vel anapaestica hephthemimeris declaratque certissime Hephaestio, esse eum ordinem a prosodiaco callide discernendum et quodammodo huic contrarium. Idem Fr. Ritschelius alium versum

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–́⏑–⏑–⏓

eodem nomine insignitum suspicatur: dubitanter is quidem, sed fecit tamen. At ne hunc quidem versum a veteribus sic appellatum legimus, quamquam est ubi carmini prosodiacis aptato immisceatur, Aristoph. Vesp. 1521. 1526

καὶ θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτου καρίδων ἀδελφοί.
ἰδόντες ἄνω σκέλος ὤζωσιν οἱ θεαταί.

Prior autem huius versus ordo

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–

de quo dubitat Fr. Ritschelius, tantum abest ut dubius ambiguusque haberi possit, ut eum quotquot sunt metrici clara voce et communi consensu clamitent omnes primarium esse prosodiacum et pervulgatissimum eumque simplicem vel *καθαρὸν*, nam reliqui omnes qui idem nomen acceperunt prosodiaci sunt compositi. Quorum in numero non solum illud est hyporchematicum vel tetrametrum, sed ut ex metricis eruimus etiam trimetra. At vero quod hunc quoque versum

⏓–́⏑⏑–⏑⏑–⏑–́⏑–⏑–

eodem nomine idem divinavit appellatum, nobis quidem falsum videtur, nec potest ea opinio versu Archilocheo

δολοφρονέουσα χειρὶ, τὴτέρῃ δὲ πῦρ

sustentari: est enim hic versus sine ulla dubitatione trimeter iambicus isque synecphonesi apud ionicos poetas frequentatissima recitandus. Pariterque ex iis quae supra dicta sunt elucet non esse quidquam causae cur Th. Bergkius vir illustrissimus mihique amicissimus in libello elegantissimo quem de vetustissimo Graecorum versu scripsit, prosodiaci et enoplii induxerit discri-

men, prosodiacum hoc metrum

⏓ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏓

enoplium illud

⏓ ⏑́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

vocandum esse ratus, praesertim quum veterum testimoniis confirmatum sit et stabilitum, posteriorem formam utroque nomine significari, nihil plane ut discriminis intercedat, priorem autem utpote quae sit anapaestica hephthemimeris vel paroemiacus ab ancipite incipiens, luculentissimis verbis a prosodiaco distingui.

III. De diversis simplicis prosodiaci formis earumque mensura.

Posteaquam ea quae a veteribus de forma, mensura variisque generibus tradita sunt persecuti sumus, de prosodiaco simplici dicatur accuratius. Est igitur contempta tetrasyllabae disyllabaeque mensurae vanitate haec nostra prosodiaci definitio, ut sit tripodia anapaestica quae ab iambo vel ancipiti thesi initium faciat eamque ob causam ex genere sit anapaestorum aeolensium. Refragatur Fr. Ritschelius dicens, anapaesticum versum non esse nisi eum qui ex anapaesticis pedibus constet, constare autem prosodiacum ex iambo et anapaestis ideoque haberi non posse numerum anapaesticum. Vere ille quidem si quis eum versum *ἀναπαιστικὸν καθαρὸν* diceret: at ecquis hoc unquam dixerit? Veteres enim ipsi varia anapaestorum genera enumerant, unum *καθαρὸν* quod ex anapaesticis constet, alterum *αἰολικὸν* quod iambo incipiat. Et quid falsi habet perversique haec divisio, cur redarguatur? Idem fieri cernis in dactylico metro quod anapaestico *κατ' ἀντίθεσιν* oppositum est: sunt enim dactylica aut *καθαρὰ* aut *αἰολικὰ*, quare si hunc versum negas anapaesticum *τὸν Ἑλλάδος ἀγαθέας* vel *ἰήϊε παιάν* consequitur ut illud quoque Sapphus non sit dactylicum *ἦρος ἄγγελος ἱμερόφωνος ἀήδων*. Et fingamus hoc non esse dactylicum, quidnam erit aliud? Erunt fortasse qui dicant dactylicum esse praeposito pede disyllabo quae basis recentioribus dici coepta est. Sit sane ita, nos nunc nihil reluctabimur, at tum constantiae causa dicendum erit, prosodiacum esse metrum anapaesticum praeposito iambo vel spondeo. Nolumus haec ad severiorem normam redigere, possitne ille pes praepositus a sequentibus segregari: nam quidquid agunt qui nomen anapaestici numeri abrogant, hoc certe agunt, ut sit anapaesticum praeposito iambo. Nos cum veteribus purorum et aeolensium dactylorum anapaestorumque discrimen tenentes, prosodiacum esse existimamus *τριποδιὰν ἀναπαιστικὴν αἰολικήν*

⏓ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ –

quae prorsus convenit *αἰολικῷ δακτυλικῷ*

⏓ ⏓ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | –

At alio modo Fr. Ritschelius prosodiacum interpretatur, non esse eum anapaesticum cum iambo,

sed dactylicum segregandamque anacrusin. Ergo est numerus dactylicus ab anacrusi inchoatus: licet hoc facere: at vel puri anapaesti sunt numeri dactylici qui eo ipso quod dactylicis pedibus anacrusis *δίσημος* praefigitur, anapaesti puri evadunt, similiterque aeolici anapaesti ex dactylis praeposita ancipiti anacrusi prognati sunt. Parum refert dicanturne hi pedes dactyli cum anacrusi ancipiti an anapaesti aeolici: verbi haec controversia est, non rei, et quid iuvat rem simplicem contortula flexuosaque appellatione pervertere? Ergo conflatum quantum volueris dicas prosodiacum ex ancipiti anacrusi et dactylis, nil falsi agis, at semper numerus manebit is quem veteres dicunt anapaesticum aeolicum, et si usquam, hoc certe loco veterum disciplinam sequamur oportet utpote simplicissimam maximeque dactylico metro convenientem et consentaneam.

Praetermissa vocabulorum lite hoc quaeratur quae sit vis ac natura, indoles et ratio praepositi illius iambi vel spondei. In qua re maximopere miror a viro acutissimo in Nov. Mus. Rhen. 1, p. 281 dictum esse: *söll ein jambus nicht mehr für einen jambus, sondern für ganz verschiedene grössen stehen, woran soll man denn überhaupt noch erkennen, wo γένος ἴσον, wo διπλάσιον stattfindet?* Iambus ille praepositus semper permanet iambus et *ἐν γένει διπλασίονι* versatur, verum anapaesti qui sequuntur quales sint, id exponendum est. Intellectum est iam diu G. Hermanni sagacitate, anapaestos, quibus praecedat iambus, esse cyclios h. e. non eos qui disyllabam, sed qui *ἄλογον* sive sescupli temporis arsin habent rhythmoque iambico sunt subiecti, quorum ex genere sunt illi quos refert Dionysius de comp. verb. c. 17, p. 109

κέχυται πόλις ὑψίπυλος κατὰ γᾶν·

quapropter anapaesti qui sunt in prosodiaco pariterque atque iambus praefixus trisemi vel *διπλάσιοι* sunt, non tetrasemi vel *ἴσοι*. Hac autem ipsa mensura, qua prosodiaci pedes ad genus cyclium restricti fuerunt, facile fieri potuit, praesertim quum carmina prosodiacis temperata non declamarentur, sed tibiis vocibusque canerentur, ut iambus in anapaesti locum, cui par fuit mensura, succederet. Non enim veteres illi rhythmorum artifices, grandes viri et sublimes, quemadmodum nos grammatici syllabas tantum aucupabantur, verum ut musici iidemque poëtae carmen ex musicarum artium quae una consociatae erant legibus condebant.

Neque vero prosodiacos utpote quos in gradiendo pompaque solemni adhibitos tradant veteres, iam a primo ortu cyclios fuisse verisimile est: multo probabilius conieceris initio eos fuisse tetrasemos pariter ac paroemiacos et systemata anapaestica: verum ex quo saltationibus aptari coepti sunt ad trisemum rhythmum redactos cyclios evasisse. Et infra demonstrabimus postera quoque aetate in quibusdam carminum generibus tetrasemam eos retinuisse mensuram et iis quidem locis esse brevem anacrusin aspernatos constanterque disemam aut longam aut duplicem servasse. Hinc alia quoque res profecta est. Grammatici enim tradunt, breves prosodiaci syllabas coalescere non posse id quod in cycliis pedibus fieri non potest, at potest in

tetrasemis anapaestis. Ergo haec lex statuenda est, ut non contrahatur anapaestica thesis in cycliis quae ab ancipiti ordiuntur prosodiacis, contrahantur in tetrasemis. Grammatici quum de cycliis tantum, qui iambo vel anapaesto incipiunt, disserant, optimo iure in hoc genere prosodiaci negant theses contrahi posse.

Quum vero in diuturno aetatum decursu cyclia illa mensura latius propagata esset et diffusa, evenit ut non solum initio, sed etiam in fine pro anapaesto iambus adscisceretur cuius rei notissimum illud exemplum quod est apud Cratinum in Drapetid. fr. 1. 2, qui hanc formam hyporchematicis prosodiacis immisit

Λάμπωνα, τὸν οὐ βροτῶν
ψῆφος δύναται φλεγυρὰ δείπνου φίλων ἀπείργειν.
νῦν δ' αὖθις ἐρυγγάνει
βρύκει γὰρ ἅπαν τὸ παρὸν, τρίγλῃ δὲ κἂν μάχοιτο.

Eam formam quae in numero est anapaestorum logaoedicorum

⏓ ⊥ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓

quum prosodiacum logaoedicum dicimus, probabiliter id nos facere existimamus, idem enim usus prosodiacorum aeolensium qui iambo incipiunt, in anapaestum desinunt, et eorum quos logaoedicos modo diximus, de qua re infra copiosius disputabitur. Hoc loco illud tantum commemorandum est, apud veteres quoque grammaticos huic ordini enoplii sive prosodiaci nomen inditum videri: legimus enim apud schol. Plat. rep. 3 p. 400 haec: *ὁ ἐνόπλιος σύνθετός ἐστιν ἐξ ἰάμβου καὶ δακτύλου καὶ τῆς παριαμβίδος* (h. e. pyrrhichio), quae quin depravata sint nemini potest dubium esse. Sunt autem sic transponenda: *ὁ ἐνόπλιος σύνθετός ἐστιν ἐξ ἰάμβου καὶ τῆς παριαμβίδος καὶ δακτύλου*, unde sua sponte ea forma quam quaerimus nascitur

⏑ ⊥ , ⏑ ⏑ , – ⏑ ⏓

dummodo memineris veteribus etiam huiusmodi versum

κλεινὰν Ἀκράγαντα γεραίρων εὔχομαι

dactylo finitum placuisse. Prorsus improbanda G. Hermanni emendatio, qui post *σύνθετός ἐστιν* verba *ἐκ τροχαίου* inseruit: hoc enim, inquit, modo et mensura hoc genus par erit duobus reliquis et numerum habebit eundem, quem illud anapaesticum

⏑⏑́ ⊥ ⏑⏑́

Cognovimus tres prosodiaci simplicis acatalecti formas, quarum primam veteres metrici prorsus omiserunt, tertiam semel tantum commemorarunt,

primam ex anapaestis tetrasemis vel puris ⏕ ⊥ ⏕ – ⏕ –,
secundam ex anapaestis aeolicis ⏓ ⊥ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –,
tertiam ex anapaestis logaoedicis compositam ⏓ ⊥ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏓,

nunc de origine et usu, in qua re metrorum vetustissimam memoriam aliquantisper recolamus.

IV. De prosodiaci vel enoplii vetustissimo usu et origine.

Inde a primordiis poesis graecae metrum dactylicum viguisse constat maximeque id consentaneum fuit antiquissimis illis carminibus quibus Deorum heroumque laudes festis diebus pompisque solemnibus concelebrabantur. Fuit enim hoc metrum magnificentia, tranquillitate, dignitate insigne, incessus lentus, praeclara quaedam arsium thesiumque aequabilitas, interdum etiam ductus rhythmici tarditate amplificata. Genus iambicum et trochaicum longe angustioribus terminis diu quasi circumseptum tenebatur potissimumque Liberalibus et Cerealibus Graecorum festis populari quadam consuetudine frequentatum, donec Archilochus ad artis leges id constringere usumque latius diffundere coepit. Festis autem illis quibus effuse exsultare gestire fodicando vellicandoque superbire religiosum ducebatur, aptissima est indoles levis, volubilis, concitata, modo lenius, modo vehementius excita, quam eandem vim et naturam iambi et trochaei arsium thesiumque inaequabilitate et quasi titubatione habent insitam, unde manavit *ῥυθμὸς διπλασίων* veloce saltatione agitatus. Similiter comparatum est genus paeonicum vel creticum, longe vehementius fluens, iuvenili ardore pernicissimaque alacritate effervescens, modo effuso gaudio vegetaque festivitate, modo altercatione et iracundia exaestuans, impetuosum, turbulentum. Quod in insula Creta ut videtur generatum primus Thaletas Cretensis excoluit latiusque propagavit, is enim hoc metro hyporchemata composuit, quae adiuncta saltatione vivida et nervosa in Apollinis honorem canebantur: eorumque species fuit pyrrhiche quae eidem metro est aptata.

Videmus igitur dactylicum genus vetustissimis poëtis summo in honore fuisse, iambicum Archilochi demum, paeonicum Thaletae aetate excoli coeptum. Nam si Terpander quem nos firmissimis argumentis ante Archilochum vixisse alio loco demonstrabimus, *τροχαῖον νόμον* cecinisse dicitur, vehementer falluntur qui ad trochaica metra eum referant, est enim Terpandri *τροχαῖος* non vulgaris ille disyllabus, sed *σημαντὸς* de quo diximus in libro de arte rhythmica Graecorum p. 96. Itidem Thaletas si narratur paeonicum genus ab Olympo esse mutuatus, nequaquam obluctatur id quod modo diximus, non enim Olympi paeones erant *διάγυιοι*, sed *ἐπιβατοί*, ut in nomi harmonici, quem in Minervae laudes fecit Olympus, *ἀναπείρᾳ* sive prooemio. Recusandus est denique eorum error qui paeonici metri originem ut scribit Plutarchus de musica c. 28, ad Archilochum referunt, cui opinioni gravissimus testis Glaucus Rheginus in libro de antiquis musicis et poëtis obloquitur. Sed revertamur ad dactylicum genus cuius causa haec dicta sunt. Trochaei, iambi, paeones inde a primo ortu saltationibus accommodati fuerunt ideoque dicuntur *ὀρχηστικοί*, non fuerunt unquam dactyli, quorum gravitas et quodammodo severitas parum congruebat cum celeri flexuosoque corporis motu. Hinc dupliciter hoc quidem genus

usurpatum cernimus, primum in iis carminum generibus quae *ἑστῶτες* canebant declamabantve h. e. in hymnis, in epica nomicaque poesi, deinde in iis quae erant cum aequabili constantique et solemni pedum gressu coniuncta. Posteriorum autem carminum genus duplex: alterum prosodiorum quum procedebant sacris pompis religiosaque supplicatione ad aras et fana Deorum, alterum enopliorum vel embateriorum quum acie instructa manus consertum in proelium proficiscebantur contra hostes. De prosodiis in universum sic Proclus in chrestomathia p. 381 *ἐλέγετο δὲ τὸ προςόδιον ἐπειδὰν προςίασι τοῖς βωμοῖς ἢ ναοῖς καὶ ἐν τῷ προςιέναι ᾔδετο πρὸς αὐλόν*, cf. Etym. magn. s. v. *ὕμνος*. Suid. s. v. *προςόδια*. schol. Av. 853. de embateriis Thucydides 5, 70: *καὶ μετὰ ταῦτα ξύνοδος ἦν,... Λακεδαιμόνιοι δὲ βραδέως καὶ ὑπὸ αὐλητῶν πολλῶν νόμῳ ἐγκαθεστώτων, οὐ τοῦ θείου χάριν, ἀλλ' ἵνα ὁμαλῶς μετὰ ῥυθμοῦ βαίνοντες προέλθοιεν καὶ μὴ διασπασθείη αὐτοῖς ἡ τάξις*, cf. Plutarch. Lyc. 22, Lacm. instit. 16, Xenoph. Hellenic. 2, 4, 7, Athen. 14, 630. Irretitum autem videmus eorum illecebris Thucydidem qui pro illius aetatis consuetudine rebus priscis et vetustis divinam speciem exuere conati sunt, non enim ad corroborandam solum fortitudinem coercendamque aciem embateria canebantur, sed ut Deos quoque praeliorum praesides in pugnam euntibus propitios redderent. Accinebant prosodiis et embateriis tibiae, quamquam subinde ut apud Cretenses cithara non fuit contempta (Plut. de mus. 30), tibiae enim sonus acrior acutior vehementiusque in aures penetrans, citharae vero qua in hymnis potissimum veterrimisque nomis utebantur, suavior audientiumque animos dulcius permulcens. Metrum fuit in genere *ἴσῳ*, ut arsium thesiumque aequabilitate servaretur pedum aequabilis gressus qui a saltandi variis vicissitudinibus mirum quantum abhorruit. Et primis quidem temporibus illa sine ulla dubitatione obtinuit dactylici rhythmi forma, quae a *θέσει*, quam nostri arsin vocant, initium facit, qualis est in poesi epica et nomica. Sic prosodia ab Eumelo Corinthio Messeniorum iussu scripta hexametris dactylicis fluxerunt, quorum initium extat apud Pausaniam 4, 33, 3. Sed quo rhythmus prosodiis et embateriis fieret aptior, dactylicae *θέσει*, quam rhythmici dicunt, praemissa est *δίσημος ἄρσις*, pedum sublationibus accommodata, quippe quod in procedendo primum tollatur pes, deinde ponatur; tollitur autem *ἐν ἄρσει* vel sublatione, ponitur in *θέσει* vel *βάσει* vel positione, ut ait Bacchius introd. mus. p. 24: *ἄρσιν ποίαν λέγομεν εἶναι; ὅταν μετέωρος ᾖ ὁ ποὺς, ἡνίκα ἂν μέλλωμεν ἐμβαίνειν. Θέσιν δὲ ποίαν; ὅταν κείμενος.* Hoc rerum divinarum et militarium quasi quodam impulsu ortum est e dactylico metro

–́ ⏕ –́ ⏑⏑ –́ ⏑⏑ . . . .

anapaesticum

⏕ –́ ⏑⏑ – ⏑⏑ –́ . . . . .

Iam prodeant duo testes qui doceant et prosodia et embateria anapaestico metro aptata fuisse: de prosodiis Lacedaemoniorum quae canebantur Hyacinthiis haec scribit Athenaeus 4, 139 e *κιθαρίζουσιν καὶ πρὸς αὐλὸν ᾄδοντες ἐν ῥυθμῷ μὲν ἀναπαίστῳ, μετ' ὀξέος δὲ τόνου τὸν θεὸν*

ᾄδουσιν. de embateriis Laconicis Cicero Tuscul. 2, 16: Spartiatarum procedit mora ad tibiam nec ulla sine anapaestis pedibus hortatio: alios testes infra enumerabimus quum singulatim de his rebus agetur. His in universum dictis cadit in quaestionem qui fuerint illi anapaesti. Vetustissimum ordinem dactylicum constat inter plerosque fuisse tripodiam, quae si acatalecta uno versu bis repetitur efficit heroum, si catalectica in syllabam pentametrum elegiacum. Anapaesticorum ordinum quos praefixa anacrusi ex dactylis ortos ostendimus, itidem tripodia vetustissima, quae quum originem duxisset e prosodiis et enopliis vel embateriis, nomen accepit et prosodiaci et enoplii metri. Permansit duplex nomen similiter atque duplex usus inde a poesis graecae incunabulis usque ad novissimam languentis Graeciae memoriam perlatus. Cui rei fidem et auctoritatem conciliaturi proponimus Xenophontis testimonium qui Anabas. 6, 1, 11: narrat: *οἱ Μαντινεῖς καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν Ἀρκάδων ἀναστάντες ἐξοπλισάμενοι ὡς ἐδύναντο κάλλιστα ᾖεσάν τε ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν ἐνόπλιον ῥυθμὸν αὐλούμενοι καὶ ἐπαιώνισαν καὶ ὠρχήσαντο ὥσπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς προσόδοις*, quocum schol. Pind. Ol. 3 consentit: *λέγεται δὲ προσοδιακὸν, διότι καὶ ἐν ἑορταῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο.*

Primum igitur prosodiacum vel enoplium popularibus cantilenis natum esse probabile est et tum demum ad artificiosiorem poesis graecae formam redactum, quod a quo factum sit poeta et quo tempore, licet multa videatur caligine offusum tamen nunc quoque quodammodo potest patefieri. Atque hoc quidem pro certo exploratoque habendum est, ***Terpandrum*** lyricae poesis principem hoc metro nondum fuisse usum, est enim veterum scriptorum auctoritate confirmatum, heroo potissimum eum usum esse, cui peculiare quoddam adiecerit spondiacum metrum trochaeo semanto et orthio temperatum, a semetipso ut fert Plutarchus de mus. 29 inventum, sed de anapaestico nil quidquam relatum legimus nec Fr. Ritschelio adstipulari possumus Terpandri metrum spondiacum paroemiacis metienti. Non mirum illud quidem, nam citharoedicos nomos composuit Terpander, a quibus anapaesticum metrum utpote tibiis carminibusque prosodicis et embateriis aptum fuit alienum. Eorum autem qui prosodia scripserunt vetustissimus poeta fertur ***Clonas*** qui ante Archilochum fuit Terpandro haud multo minor natu, oriundus ut Arcades ferunt Tegeae, ut Boeoti in Boeotia (Plutarch. de mus. 5. 6). Idem Clonas primus nomos auloedicos invenisse perhibetur quamquam sunt qui Ardalum Troezenium Clona maiorem natu hoc fecisse contendant (Plutarch. ib. c. 3. 4). At vero Clonas scripseritne prosodia metro prosodiaco necne in ambiguo relinquendum, nam *ἐλεγείων* modo *τε καὶ ἐπῶν ποιητής* dicitur facileque eo sententia deflectere potest ut quemadmodum Eumelus Corinthius aequalis cuius supra facta est mentio prosodia composuerit herois. Tradunt veteres metrum prosodiacum inventum esse ab ***Olympo***, non fabuloso illo Marsyae discipulo, sed eo qui auloedicos nomos fecit et Glauco teste ante Thaletam floruit. Is quo tempore vixerit si accuratius computare et ratiocinari voluerimus, dubitari non poterit quin post Clonam vixerit, quippe qui

primus auloedicorum nomorum inventor dicatur. Hoc probato et effecto sequitur ut Clona minor, Thaleta maior fuerit natu aequalisque Archilochi. Sed ad hunc Olympum tot et tanta referuntur inventa vix ut his omnibus fides haberi possit: neque tamen eorum sequimur temeritatem qui contempta rerum antiquissimarum fide omnia ficta et commentitia habent veritatisque lucem quaerentes omnem lucem restinguunt. Delitescit sane in narratione illa veri nonnihil quod cavendum est ne inconsiderate aversemur. Enimvero ad Olympum nomorum auloedicorum poetam omnia ea translata sunt quae a Cratete ceterisque discipulis atque omnibus iis qui sunt eum secuti novata sunt. Proinde Olympum intelligamus non unum hominem, sed universam poetarum auloedicorum disciplinam quae ex Asia in Graeciam migravit fuitque ei opposita quam Clonas in ipsa Graecia condidit. Sed ne latius vagemur contineamus nos intra eos fines quibus prosodiaci memoria circumscripta est. Id metrum ab Olympo inventum et in Martis nomo adhibitum his verbis testatur Plutarchus de mus. 29 *αὐτὸν δὲ τὸν Ὄλυμπον ἐκεῖνον ᾧ δὴ τὴν ἀρχὴν τῆς Ἑλληνικῆς τε καὶ νομικῆς μούσης ἀποδιδόασι, τό τε τῆς ἁρμονίας γένος ἐξευρεῖν φασι καὶ τῶν ῥυθμῶν τόν τε προσοδιακόν ἐν ᾧ ὁ τοῦ Ἄρεως νόμος,* id quod prorsus congruit cum eo quod supra diximus, metrum prosodiacum ex embateriis et prosodiis effloruisse. Nam aut sic existimandum videtur, ut prosodiacum metrum ab Olympo credamus ex prosodiis et embateriis, quae populari usu canebantur, sumptum in Mavortis nomum traductum esse propter argumenti similitudinem, quandoquidem et embateria et Martis ille nomus in rebus militaribus versabantur, aut sic ut nomus Martis fuerit embaterium, cui sententiae ut adhaereamus vel illud suadet quod nomos auloedicos ut Cradiem Thargeliis festis *) etiam in procedendo cantatos esse cognitum est. Sed quidquid sentis, hoc certe sentiendum est Olympum non fuisse inventorem, sed eum qui prosodiacum metrum primus ex obscuritate popularium cantilenarum seductum in lucem universae Graeciae protraxerit et artificiosioris poesis cultu collustraverit.

At vero praeter Olympum etiam *Archilochus* prosodiacum invenisse ab eodem Plutarcho de mus. 28 perhibetur: *πρώτῳ δὲ αὐτῷ τά τ' ἐπῳδὰ καὶ τὰ τετράμετρα καὶ τὸ κρητικὸν καὶ τὸ προσοδιακὸν ἀποδέδοται καὶ ἡ τοῦ ἡρῴου αὔξησις.* Quid hoc rei est ab eodem scriptore modo hunc modo illum inventorem dici? An vero alteram ex alteris fontibus sententiam derivasse putandus est Plutarchus? Quamquam ne ad hanc quidem opinionem confugiamus oportet, nam causa est in promptu cur veteres scriptores huc delapsi videantur. Prosodiacus enim ille Archilocheus non est simplex, sed is qui postea dictus hyporchematicus ut notissimum hoc

Ἐρασμονίδη Χαρίλαε χρῆμά τοι γελοῖον.

At ex caesura manifestum est priorem huius versus partem ab Archilocho ipso non esse prosodiacum habitum, sed paroemiacum potius cyclium, quem versum quoniam qui secuti sunt co-

*) Hesychius s. v. *κραδίης*. Plutarch de music. 8.

mici mutato caesurae loco ita pepegerunt, ut ex prosodiaco simplici et iambica hephthemimeri compositus sit, fieri potuit ut veteres neglecto hoc discrimine quo universae huius rei conditio alia fit, Archilochum dicerent prosodiaci hyporchematici inventorem. Plutarchus vero hyporchematicum hoc, non simplicem prosodiacum intellexisse vel inde certissimo argumento evincitur quod pergens ait eodem loco *καὶ τὴν τοῦ ἡρῴου αὔξησιν* primum instituisse Archilochum, quibus verbis metrum simili ratione compositum, hexametron illud perittosyllabes significatur

τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθείς.

Nondum tamen hoc modo res profligata est, accedant huc oportet ea quae proxime apud Plutarchum leguntur *ὑπ' ἐνίων δὲ καὶ τὸ ἐλεγεῖον, πρὸς δὲ τούτοις ἥ τε τοῦ ἰαμβείου πρὸς τὸν ἐπιβατὸν παίωνα ἔντασις καὶ ἡ τοῦ ηὐξημένου ἡρῴου εἴς τε τὸ προσοδιακὸν καὶ τὸ κρητικόν.* Hic locus nondum illustratus est. Et primum quidem quae sic *ἔντασις* quaeritur. De hac Plutarchus eodem capite haec: *ἀλλὰ μὴν καὶ Ἀρχίλοχος τὴν τῶν τριμέτρων ῥυθμοποιίαν προσεξεῦρε καὶ τὴν εἰς τοὺς οὐχ ὁμογενεῖς ῥυθμοὺς ἔντασιν* h. e. primus metra quae diversis rhythmi generibus subiecta erant una consociavit quae res satis nota est. Hac igitur *ἐντάσει* paeonem epibatum cum iambicis, prosodicum cum *ηὐξημένῳ ἡρῴῳ,* creticum cum eodem aucto heroo copulasse dicitur. Sed de his metris singulatim dicendum est. Et prima quidem entasis est iamborum ad paeonem epibatum, quae compositio qualis fuerit declaratur Olympi nomo in Minervam de quo sic Plutarchus de mus. 33: *οὐθεὶς γὰρ ῥυθμὸς τὴν τῆς τελείας οἰκειότητος δύναμιν ἥξει ἔχων ἐν αὑτῷ· τὸ γὰρ οἰκείως ἀεὶ λεγόμενον πρὸς ἦθός τι βλέποντες λέγομεν· τούτου δέ φαμεν αἰτίαν εἶναι σύνθεσίν τινα ἢ μῖξιν ἢ ἀμφότερα. οἷον Ὀλύμπῳ τὸ ἐναρμόνιον γένος ἐπὶ Φρυγίου τόνου τεθέν, παίωνι ἐπιβατῷ μιχθέν (τοῦτο γὰρ τῆς ἀρχῆς τὸ ἦθος ἐγέννησεν ἐπὶ τῷ τῆς Ἀθηνᾶς νόμῳ) προσληφθείσης γὰρ μελοποιίας καὶ ῥυθμοποιίας τεχνικῶς τε μεταληφθέντος τοῦ ῥυθμοῦ μόνον αὐτοῦ καὶ γενομένου τροχαίου ἀντὶ παίωνος συνέστη τὸ Ὀλύμπου ἐναρμόνιον γένος. ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦ ἐναρμονίου γένους καὶ τοῦ Φρυγίου τόνου διαμενόντων καὶ πρὸς τούτοις τοῦ συστήματος παντὸς μεγάλην ἀλλοίωσιν ἔσχηκε τὸ ἦθος. ἡ γὰρ καλουμένη ἁρμονίαἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς νόμῳ πολὺ διέστηκε κατὰ τὸ ἦθος τῆς ἀναπείρας.* Eum locum prave me intellexisse in libro de arte rhythmica Graecorum a R. Westphalo amico recte commonefactus sum. Hoc ait Plutarchus: *ἦθος ῥυθμῶν* ex quo fit motus et concitatio animi in diversas partes fluens nascitur aut ipsius rhythmi compositione vel forma quae dicitur *σύνθεσις*, aut diversorum rhythmorum coniunctione quae dicitur *μῖξις*, aut denique ex utraque re. Exemplo est Olympi nomus in Minervam qui totus Phrygio modo et genere enharmonico decurrit, sed eo quod *ἀνάπειρα* vel prooemium paeonibus epibatis, ceterae partes trochaico numero conformatae erant, eximiam *ἤθους* habuit vicissitudinem. Fuerunt igitur in hoc Olympi nomo cum paeonibus epibatis trochaei copulati in hunc fere modum

ἀνάπειρα { – – – – – / – – – – – / – – – – – / . . . .

reliquae nomi partes { – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – / – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – / – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – / . . . .

unde oritur compositio rhythmica quae *τροχαίων πρὸς τὸν ἐπιβατὸν παίωνα ἔντασις* apte nominatur. Ergo si apud Archilochum fuisse *τὴν τῶν ἰαμβείων πρὸς τὸν ἐπιβατὸν παίωνα ἔντασιν* Plutarchus narrat, carmen hoc modo scriptum fuisse credibile est, ut initio essent paeones epibati, sequerentur iambi

– – – – –

– – – – –

– – – – –

. . . .

⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ ⏓ – ⏑ –

⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ –

⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ – ⏓ – ⏑ –

. . . .

Transimus ad secundam et tertiam Archilochi entasin, quae multo faciliores sunt ad explicandum. In utraque postpositum fuit hexametron perittosyllabes, cui in altera prosodiacum, creticum metrum in altera praemissum est. Archilochum enim posterosque poetas compertos habemus ex hexametro perittosyllabo et altero versu finxisse strophas tricolas vel tetracolas, ut hanc

τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθείς
πολλὴν κατ᾽ ἄχλυν ὀμμάτων ἔχευεν.

ex eodem genere est hoc Callimachi epigr. 41:

Δήμητρι τῇ Πυλείῃ
τῇ τοῦτον οὐκ Πελασγῶν
᾽Ακρίσιος τὸν νηὸν ἐδείματο ταῦθ᾽ ὁ Ναυκρατίτης

et hoc Simonidis p. 150:

πολλάκι δὴ φυλῆς ᾽Ακαμαντίδος ἐν χοροῖσιν ῝Ωραι
ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις,

et Theocriti epigr. 18

ὁ μικκὸς τόδ᾽ ἔτευξε τᾷ Θρεΐσσᾳ
Μήδειος τὸ μνᾶμ᾽ ἐπὶ τᾷ ὁδῷ, κἠπίγραψε Κλείτας.

Similiter illas quas Plutarchus refert Archilocheas *ἐντάσεις* patet fuisse conformatas

secundam – ⊥ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

⊥ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ – ⏑ – ⏓

tertiam ⊥ ⏑ – – ⏑ –

⊥ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ – ⏑ – ⏓

Ex his sequitur ut Archilochus non solum hyporchematicum prosodiacum composuerit, sed etiam prosodiacum simplicem hexametro perittosyllabo praemittens proodicam stropham pepegerit, neque enim hic prosodiacum compositum intelligi posse concludendum est ex reliquarum quas retulimus stropharum comparatione. Sed altera obstat difficultas, interroget enim aliquis sitne scriptori ex quo Plutarchi sententia fluxit habenda fides et auctoritas. Vacillat admodum ea res, etenim paeones creticosque Archilochi repudiat Glaucus Rheginus, homo et metrorum graecorum valde gnarus egregieque poesis graecae historiam doctus: Plutarch. de mus. 10: *Γλαῦκος γὰρ μετ᾽ ᾽Αρχίλοχον φάσκων γεγενῆσθαι Θαλήταν, μεμιμῆσθαι μὲν αὐτόν φησι τὰ ᾽Αρχιλόχου μέλη, ἐπὶ δὲ τὸ μακρότερον ἐκτεῖναι, καὶ παίωνα καὶ κρητικὸν ῥυθμὸν εἰς τὴν μελοποιίαν ἐνθεῖναι, οἷς ᾽Αρχίλοχον μὴ κεχρῆσθαι, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ᾽Ορφέα οὐδὲ Τέρπανδρον, ἐκ γὰρ τῆς ᾽Ολύμπου αὐλήσεως Θαλήταν φασὶν ἐξειργάσθαι ταῦτα καὶ δόξαι ποιήτην ἀγαθὸν γεγονέναι.* Ferebantur igitur apud veteres carmina Archilochea iis metris consignata quae prima et tertia Plutarchea entasi continentur, sed Glaucus quid de his? Subdita ea existimavit quemadmodum relatum legimus apud Hephaestionem p. 94, fuisse etiam Iobacchos Archilocho adscriptos de quorum fide dubitaretur. Et nos quidem facere non possumus quin haec credamus eaque metra ab Archilocho aliena iudicemus. At non est ulla causa cur secundam illam entasin ab Archilocheo usu abhorruisse opinemur, nam quamquam prima et tertia teste Glauco refellenda est, secunda tamen nulla re labefactatur. Statuamus igitur Archilochum non solum anapaesticam hephthemimerem cum ithyphallo copulasse unde oritur id metrum quod mutata caesura posteris fuit prosodiacum hyporchematicum, sed coniunxisse etiam ipsum prosodiacum simplicem cum hexametro perittosyllabo. Utrumque autem ordinem anapaesticum et paroemiacum et prosodiacum trisemum vel cyclium reddidit quoniam eos cum numeris trochaicis una consociavit eamque ob causam pro primo anapaesto iambum admisit. Factum est autem hoc eodem fere tempore quo Olympus eundem prosodiacum invenisse dicitur, et si uterque inventor traditur, et Olympus et Archilochus, non est quod hi de hac gloria concertent, nam reflantibus quasi ventis fluctuumque repercussu ambo revehuntur ad eum fontem ex quo primum id metrum manasse supra vidimus, ad poesin popularem. Sed dum ducti ab humili in latiora poesis graecae curricula egrediuntur prosodiaci variasque induentes species et cum aliis

rhythmis congregati emetiuntur diversissima carminum genera, more maiorum locum obtinent embateriorum prosodiorumque et vergente in occasum Graecia domi militiaeque circumsonant Graecorum aures. Ex quo tempore servatum est fragmentum illud prosodii in Lysandrum Athenarum expugnatorem cantati.

Sed haec hactenus, reliqua de usu prosodiacorum in diversis poesis Graecae generibus si praeludendi officium ad nos redierit.

Scripsimus Vratislaviae mense Ianuario MDCCCLVII.

ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM.

IOANNES FRANCISCUS POHL, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *De arte homiletica* disseret dieb. Lun. et Iov. h. III. d. Sat. h. IX. II. *Repetitorium de universa theol. past.* instituet d. Ven. h. III. Privatim III. *De theologia past.* disputare perget quinis prior. dieb. h. IX.

IOANNES BAPTISTA BALTZER, Dr. P. P. O. Publice I. *Hexaëmeron* explicabit *ratione habita rerum, quae nostra aetate, praecipue in physica, geologia et astronomia, cognitae et stabilitae sunt* d. Merc. et Sat. h. XII. II. In seminario regio theol. cathol. *exercitationes dogmaticas, una cum interpretatione S. Augustini de civ. Dei lib. XII. seq.* continuabit bis per hebd. d. Mart. h. III. et IV. Privatim III. *Theologiae dogmaticae christianae cath. partem secundam et tertiam usque ad doctrinam de gratia* docebit, dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.

IOSEPHUS HENRICUS FRIEDLIEB, Dr. P. P. O. Publice I. *Hermeneuticam biblicam et artem criticam* docebit d. Ven. et Sat. h. X. II. In seminario regio theol. cathol. sodalium *exercitationes in Nov. Test.* moderabitur d. Iov. h. V. et VI. Privatim III. *Epistolas catholicas S. Petri et S. Pauli epistolas pastorales* explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX.

FRANCISCUS ANTONIUS BITTNER, Dr. P. P. O. Publice I. *Repetitiones totius theologiae moralis compendiarias* offert dieb. Lun. Merc. Ven. h. XI. Privatim II. *Catholicae theologiae moralis partem generalem* tradet dieb. Mart. Iov. Sat. h. IX.

CAROLUS FRIDERICUS STERN, Theol. Lic. P. P. O. des. Publice I. *Doctrinam religionis Vet. Test.* tradet d. Mart. et Ven. h. VIII. Privatim II. *Minorum prophetarum vaticinia* interpretabitur dieb. Lun. Merc. Iov. h. VIII.

IOSEPHUS HUBERTUS REINKENS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *De vita et scriptis S. S. Patrum apostolicorum* disseret dieb. Lun. et Ven. h. VII. II. *Repetitiones de singulis historiae ecclesiasticae capitibus* moderabitur d. Merc. h. III. et IV. Privatim III. *Historiae eccles. partem primam* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI.

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM.

HENRICUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. In seminario regio theol. *exercitationes exegeticas et criticas in Vet. Testam.* moderari perget d. Merc. h. x. Privatim II. *Genesin* interpretabitur quinquies per hebd. h. xi. III. *Epistolam ad Hebraeos* explicabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. x.

AUGUSTUS HAHN, Dr. P. P. O. Publice. In seminario regio theol. *exercitationes ad historiam ecclesiasticam* pertinentes quantum fieri poterit, moderabitur. Lectiones quominus habeat, munere ecclesiastico, quo fungitur, per aestatem impeditur.

GUILELMUS BOEHMER, Dr. P. P. O. Publice I. Exercitationes, quae ad novum Testamentum pertinent, *tum exegeticas tum criticas* moderabitur in seminario regio theol. d. Ven. h. xii. II. *De ingenio, vita, scriptis patrum et apostolicorum, et ecclesiasticorum* disputabit dieb. Merc. et Sat. h. xii. Privatim III. *Quam vulgo vocant theologiam moralem tanquam vitae Christianae scientiam ratione habita* libri sui: System des christlichen Lebens oder das christliche Leben als Bejahung, Verneinung und Wiederherstellung wissenschaftlich dargestellt, Vratisl. edit. docebit dieb. Lun. Mart. Iov. h. xii.

CAROLUS SEMISCH, Dr. P. P. O. Publice I. *Augustini confessiones* cum commilitonibus leget et interpretabitur d. Merc. h. ix. II. *Exercitationes* seminarii theologici *in dogmatum historia versantes* moderari perget d. Lun. h. iii. Privatim III. *Historiae ecclesiasticae partem priorem* tradet quotidie h. viii. IV. *Introductionem in Nov. Testam. libros* tradet quater h. ix.

CAROLUS FRIDERICUS GAUPP, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes homileticas* in seminario regio practico moderari perget d. Merc. h. vii. Privatim II. *Theologiae practicae partem primam et tertiam* (*Liturgicen et ecclesiasticen s. doctrinam de regimine ecclesiae*) tradet quinquies h. vi. III. *Pauli ad Romanos et Galatas epistolas* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. vii.

IULIUS FERDINANDUS RAEBIGER, Dr. P. P. E. Publice I. *Amosi vaticinia* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. ix. Privatim II. *Encyclopaediam theologicam* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. viii.

EDUARDUS MEUSS, Theol. Lic. P. P. E. des. Publice I. *Exercitationes homileticas et catecheticas* in seminario regio practico moderari perget d. Mart. h. v. d. Merc. h. xii. Privatim II. *Theologiam dogmaticam* tradet quotidie h. ix. III. *Theologiam Novi Testamenti* tradet quinquies h. viii.

FRIDERICUS GUILELMUS SCHULTZ, Theol. Lic. Phil. Dr. P. P. E. des. Publice I. *Vaticinia Messiana Vet. Test.* interpretabitur d. Sat. h. x. et xi. Privatim II. *Librum Iobi* interpretabitur quinquies per hebd. h. xi.

GEORGIUS LUDOVICUS HAHN, Theol. Lic. Philos. Dr. Gratis I. *Exercitationibus exegeticis ad Novum Testamentum pertinentibus* praeerit d. Sat. h. ix. Privatim II. *Theologiam symbolicam* tradet quinquies per hebd. h. ix. III. *Pauli ad Corinthios epistolas* interpretabitur quinquies per hebd. h. x.

ORDO IURECONSULTORUM.

IULIUS FRIDERICUS HENRICUS ABEGG, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Summa iuris poenalis principia sive doctrinam de iustitia poenarum* adhibito libro suo: „Die verschiedenen Strafrechtstheorien“ inscripto exponet d. Lun. h. vi. mat. II. *Ius naturae, sive philosophiam iuris examinando et disputando* repetet d. Iov. h. ix. Priv. III. *Ius criminale commune et Borussicum* secundum librum suum „Lehrbuch der Strafrechtswissenschaft“ inscriptum et *novum codicem poenalem Borussicum* docebit quotidie h. vii. et d. Mart. et Merc. h. vi. mat. IV. *Processum civilem secundum praecepta iuris communis et Borussici* ad conspectum a. 1851 et librum: Versuch einer Geschichte der Preussischen Civilprocess-Gesetzgebung Vratislaviae 1848 a se editum tradet quotidie h. viii.

PHILIPPUS EDUARDUS HUSCHKE, Dr. P. P. O. Publice I. *Ius pignorum et hypothecarum* docebit d. Ven. et Sat. h. xii. Privatim II. *Pandectas iuris civilis excepto iure personarum, pignorum et hereditario* tradet quotidie h. viii. et ix. III. *Ius hereditarium* exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. xii.

ERNESTUS THEODORUS GAUPP, Dr. P. P. O. Publice I. *Legem summam de regno Borussico constituendo pridie kal. Febr.* 1850 promulgatam interpretabitur d. Lun. h. iv. et v. Privatim II. *Ius canonicum cum iure ecclesiastico Catholicorum et Evangelicorum coniunctum* docebit quinquies per hebd. h. ix. III. *Historiam imperii et iuris Germanici* tradet quinquies per hebd. h. x. IV. *Ius gentium positivum quod vocant* ex propriis schedis docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Ven. h. xi. V. *Ius feudale commune et Borussicum, ita ut simul leges recentiores ad hanc iuris partem spectantes explicentur*, ex propriis schedis docebit dieb. Mart. et Ven. h. xii. d. Sat. h. xi.

LUDOVICUS GITZLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Ius quod ad personas et ad familias pertinet*, tradet quotidie excepto d. Sat. h. vii. Privatim II. *Ius Borussicum commune* docebit quotidie h. ix. III. *Institutiones et historiam iuris Romani* tradet quotidie h. x. et xi.

THEODORUS MOMMSEN, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes iuris civilis* moderari perget d. Merc. h. vesp. vi. et vii. Privatim II. *Historiam iuris Romani et institutiones* explicabit d. Lun. et Iov. h. x. xi. et xii., d. Mart. et Merc. h. xi. et xii.

GEORGIUS FRIDERICUS FELIX EBERTY, Dr. Gratis I. *De historia iuris criminalis universali* disseret bis per hebd. h. ix. Privatim II. *Philosophiam iuris sive ius naturale* docebit quinquies per hebd. h. x.

IOANNES THEODORUS SCHIRMER, Dr. Gratis I. *Exercitationes iuris civilis practicas* moderabitur d. Lun. et Iov. h. IV. Privatim II. *Encyclopaediam et methodologiam iuris universi* tradet quotidie excepto d. Sat. h. IX.

ORDO MEDICORUM.

IULIUS GUILELMUS BETSCHLER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Cursum operationum obstetriciarum* instituet bis per hebd. hor. adhuc def. Privatim II. *De morbis sexus sequioris* disseret quater per hebd. h. VII. mat. III. *Clinicum gynaecologicum* moderabitur quotidie h. VIII.

TRAUGOTTUS GUILELMUS EDUARDUS THEODORUS BENEDICT, Dr. P. P. O. Publice I. *Examinatorium et repetitorium circa singula chirurgiae capita* continuabit quaternis dieb. hor. def. Privatim II. *Chirurgiam generalem ac primam partem chirurgiae specialis doctrinaeque de operationibus chirurgicis, subiunctis demonstrationibus chirurgicis* exponet sexies dieb. hor. def. III. *Ophthalmiatricen* docebit, *generationesque in oculo necessarias* demonstrabit quaternis dieb. hor. def.

IOANNES CAROLUS LEOPOLDUS BARKOW, Dr. P. P. O. Publice I. *Anthropologiam seu historiam naturalem generis humani* tradet d. Sat. h. IX. II. *Morphologiam anatomicopathologicam* docebit d. Merc. et Sat. h. VI. mat. Privatissime et gratis III. *Exercitationes zootomicas* moderabitur sexies per hebd. hor. audit. comm. Privatim IV. *Anatomen comparativam* exponet *adiunctis demonstrationibus in museo zootomico* dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

CAROLUS BOGISLAUS REICHERT, Dr. P. P. O. Publice I. *Anatomiam et physiologiam encephali et medullae spinalis* docebit d. Merc. h. VII. Privatim II. *Physiologiam hominis generalem et partem physiologiae specialis primam experimentis et demonstrationibus adiunctis* exponet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. III. *Corporis humani texturam et structuram microscopicam* demonstrabit h. II. et III. Privatissime IV. *Exercitationes physiologicas et indagationes microscopicas in instituto physiologico* moderabitur quotidie hor. def.

FRIDERICUS THEODORUS FRERICHS, Dr. P. P. O. Publice I. *Selecta capita pathologiae specialis* docebit bis per hebd. hor. def. Privatim II. *Clinicen et policlinicen medicam* moderabitur sexies per hebd. h. X½. III. *Pathologiam et therapiam specialem* tradet sexies per hebd. h. XII. et I.

ALBERTUS THEODORUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. E. des. Publice I. *De luxationibus* disseret d. Sat h. III. Privatim II. *Clinicen et policlinicen chirurg.-ophthalm.* moderabitur sexies per hebd. h. IX — X½. III. *Chirurgiae partem secundam subiunctis exercitationibus in cadavere* docebit quinquies per hebd. h. III. IV. *Ophthalmiatricae partem I.* docebit bis per hebd. hor. def.

IOANNES IOSEPHUS SEIDEL, Dr. Gratis I. *Medicamina e regno animali oriunda* exponet d. Lun. et Merc. h. VII. Privatim II. *De medicamentis nostro tempore in usum vocatis* disseret dieb. Mart. Merc. Iov. Ven. h. X. III. *De aquis soteriis Germaniae* disseret dieb. Iov. Ven. Sat. h. III.

CAROLUS GUILELMUS KLOSE, Dr. Gratis I. *De herniis* disseret d. Sat. h. VII. mat. Privatim II. *De instrumentis et fasciis applicandis* disseret ter per hebd. h. V. III. *De medicina legali* disseret ter per hebd. h. IV.

IOANNES AUGUSTUS BURCHARD, Dr. Gratis I. *De morbis infantum* disseret, *et cursum vaccinationis* instituet d. Merc. et Sat. h. IV. II. *De exploratione et diagnosi obstetricia* disseret d. Merc. et Sat. h. V. Privatim III. *Artem obstetriciam* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Psychiatricen* docebit d. Lun. et Iov. h. III. Privatim II. *Res medicas inde ab Hallero gestas* narrabit d. Lun. et Iov. h. IV. Privatissime III. *Psychiatricae forensis institutiones practicas* moderabitur d. Merc. h. III. et IV.

IOANNES CAROLUS CHRISTIANUS KUH, Dr. P. Morbo chronico adhuc laborans per semestre aestivum lectiones nondum habebit.

THEOBALDUS BASILIUS PAULUS REYMANN, Dr. Gratis I. *Morbos syphiliticos* explicabit d. Merc. et Sat. h. VII. mat. Privatim II. *Pathologiam* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. h. VI. mat.

GUILELMUS HENRICUS CAROLUS GROSSER, Dr. Privatim I. *Osteologiam et syndesmologiam* docebit d. Lun. et Merc. h. VIII. II. *Angiologiam* tradet d. Mart. et Iov. h. VIII.

ARMINIUS RUDOLPHUS AUBERT, Dr. Gratis I. *Nervorum systematis physiologiam* (*exempla sensuum doctrina*) tractabit d. Mart. et Ven. h. V. Privatissime II. *Exercitationes microscopicas* moderabitur bis per hebd. h. VIII. et IX. III. *Experimenta physiologica instituet* semel per hebd. h. VIII.

HUGO ERNESTUS HENRICUS RUEHLE, Dr. Privatim I. *De auscultatione et percussione* disseret dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. II. *Anatomen pathologicam exclusa morphologia pathol.* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

ARMINIUS IULIUS PAUL, Dr. Gratis I. *De morbis infantum* disseret *coniunctis exercitationibus vaccinationis* disseret d. Merc. et Sat. h. V. II. *De morbis cutis* disseret d. Iov. h. II. Privatim III. *De medicina forensi* disseret dieb. Lun. Merc. Iov. h. IV.

BERNHARDUS COHN, Dr. Privatim I. *Morborum internorum diagnosin* docebit una *cum demonstrationibus practicis* dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V. II. *Exercitationes therapeuticas* instituet d. Merc. et Sat. h. V.

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Dr. P. P. O. Privatim. *De plantis officinalibus secundum ordines naturales cum demonstrationibus pharmacologicis in museo botanico nostro et in horto botanico duce libello suo* „die botanischen Museen, insbesondere das bei der Universität Breslau“ inscripto, disseret dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

ORDO PHILOSOPHORUM.

CHRISTOPHILUS IULIUS BRANISS, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Disputationes philosophicas* moderabitur d. Ven. h. v. et vi. Privatim II. *Philosophiam religionis* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. iv.

GEORGIUS HENRICUS BERNSTEIN, Dr. P. P. O. Publice I. *Bar-Hebraei chronica syriaca* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. xii. II. *Koranum* exponet d. Mart. et Ven. h. xii.

PETRUS IOSEPHUS ELVENICH, Dr. P. P. O. Publice I. *Lockii et Leibnitzii philosophiam* enarrabit d. Iov. h. iii. II. *Exercitationes dialecticas* moderabitur d. Iov. h. iv. Privatim III. *Logicam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. h. iii.

CAROLUS IACOBUS LOEWIG, Dr. P. P. O. Publice I. *De stoechiometria* disseret d. Iov. h. xii. Privatim II. *Chemiam organicam* docebit et *experimentis* illustrabit duce libro suo „Grundriss der organischen Chemie" inscripto senis dieb. h. viii. Privatissime III. *In laboratorio chemico operam daturis* aderit quinquies ab h. ix. usque ad h. v.

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Dr. P. P. O. Publice I. *Excursiones, quas vocant botanicas, in agro Vratislaviensi* instituet d. Sat. h. iii. Privatim II. *Botanicen generalem* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. xi. III. *Botanicen specialem s. systematicam* explanabit *una cum expositione familiarum naturalium* duce libello suo „die officinellen und technisch wichtigen Pflanzen unserer Gärten, insbesondere des botanischen Gartens in Breslau" inscripto, d. Lun. et Iov. h. iv. IV. *De plantis officinalibus secundum ordines naturales cum demonstrationibus pharmacologicis* in museo botanico nostro et in horto botanico duce libello suo „die botanischen Museen, insbesondere das bei der Universität Breslau" inscripto disseret dieb. Mart. Iov. Ven. h. x.

ADOLPHUS FRIDERICUS STENZLER, Dr. P. P. O. Publice I. *Institutiones linguae Sanscritae* continuabit d. Lun. et Iov. h. iii. II. *Etymologiam linguae Gothicae* tradet d. Mart. h. iii.

HENRICUS FRIDERICUS HAASE, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes Seminarii regii philologici* reget d. Merc. et Sat. h. ix. et x. Privatim II. *Praefatus de Tibulli vita et ingenio aliquot eius carmina* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. x. III. *Grammaticae latinae partem semasiologicam et syntacticam* explicabit quotidie h. xi.

IOANNES LUDOVICUS TELLKAMPF, Dr. P. P. O. Publice I. *Scientiam earum rerum, quae ad iuris administrationem pertinent*, tradet d. Sat. h. ii. Privatim II. *Politicen* docebit *una cum uberiore politiae* (Polizei) *explicatione* quinquies per hebd. h. ii. III. *Oeconomiam politicam* proponet quinquies per hebd. h. iii.

MAURITIUS LUDOVICUS FRANKENHEIM, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes physicas* moderabitur d. Sat. h. xi. et xii. Publice II. *Repetitorium physicum* instituet d. Mart. h. iii. III. *Physicen universam* docebit quinquies per hebd. h. xii.

FERDINANDUS IOACHIMSTHAL, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes mathematicas* moderabitur bis per hebd. Privatim II. *Selecta capita calculi integralis* docebit dieb. Lun. Merc. Iov. Sat. h. x. III. *Mechanicen elementarem ad theoriam praesertim machinarum adplicatam* exponet dieb. Lun. Mart. Ven. h. xi.

RICHARDUS ROEPELL, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationes seminarii historici* moderari perget h. adh. def. Privatim II. *Historiam orbis antiqui universalem* tradet *usque ad Alexandri magni mortem* quater per hebd. h. v.

FERDINANDUS ROEMER, Dr. P. P. O. Publice I. *Geognosiam Germaniae borealis* exponet d. Merc. h. iv. II. *Excursiones quas vocant geognosticas* instituet dieb. p. i. Privatim III. *Mineralogiam* docebit quinquies per hebd. h. viii. IV. *Palaeontologiam* docebit quinquies per hebd. h. x.

GUILELMUS IUNKMANN, Dr. P. P. O. des. Privatissime et gratis I. *Disputationes de historia medii aevi* moderabitur h. def. Publice II. *Historiam coloniarum tum saecularium quam ecclesiasticarum inde a saeculo XVI. conditarum* enarrabit bis per hebd. h. ix. Privatim III. *Historiam Germanorum* tradet quater per hebd. h. ix.

IOANNES GODOFREDUS GALLE, Dr. P. P. O. des. Publice I. *De geometria sphaerica* disseret d. Mart. h. x. Privatim II. *Trigonometriam planam, sphaericam et analyticam* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix.

AUGUSTUS ROSSBACH, Dr. P. P. O. des. Publice I. *Seminarii regii philologici exercitationes* reget quater per hebd. Privatim II. *Historiam litterarum Graecarum* narrabit quotidie excepto die Sat. h. viii. III. *Pindari carmina selecta* interpretabitur dieb. Lun. Merc. Sat. h. xii.

ADOLPHUS EDUARDUS GRUBE, Dr. P. P. O. Publice I. *Demonstrationes zoologicas* instituet d. Mart. et Ven. h. xii. Privatim II. *Zoologiam* docebit quotidie h. x.

AUGUSTUS KAHLERT, Dr. P. P. E. Publice I. *De iis, qui nomine* Romantische Schule, *significari solent, poëtis Germanicis* disseret d. Sat. h. xii. Privatim II. *Psychologiam* tradet ter per hebd. h. xii.

AUGUSTUS SCHMOELDERS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Selecta ex litteris Arabicis capita intellectu faciliora* auditoribus proponet interpretanda d. Lun. Merc. Ven. h. x. II. *Grammaticam Arabicam* docebit d. Mart. et Sat. h. x. III. *Linguae Persicae elementa* tradet d. Lun. et Iov. h. xi. IV. *Grammaticam linguae Sanscritae* docebit d. Mart. et Ven. h. xi.

FRIDERICUS GUILELMUS WAGNER, Dr. P. P. E. Publice I. *Exercitationes latine loquendi et scribendi* moderabitur d. Merc. et Sat. h. xii. Privatim II. *De Aristophanis vita, ingenio, poësi praefatus comoediam quae Thesmophoriazusarum nomine inscribitur* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xii.

ADOLPHUS DUFLOS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Chemiae analyticae elementa* tradet duce libri sui „Pharmaceutische Chemie 1857" parte tertia bis per hebd. h. vii. mat. II. *Repetitorium pharmaceutico-chemicum* instituet semel per hebd. h. vii. mat. Privatim III. *Chemiam pharmaceuticam* docebit duce libro suo „Pharmaceutische Chemie

1857" sexies per hebd. h. VI. mat. IV. *Venenorum quae chemica vocantur cognitionem et explorationem* docebit bis per hebd. h. VII. mat.

HENRICUS RUECKERT, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Historiam litterarum Germanicarum usque ad saeculum XVI.* tradet dieb. Mart. Iov. Ven. h. VIII. Privatim II. *Mythologiam Germanorum* docebit d. Lun. et Merc. h. VIII. III. *Carmen de Nibelungis* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. IX.

IOANNES VAHLEN, Dr. P. P. E. des. Privatissime et gratis I. *Exercitationes philologicas* moderabitur d. Merc. h. IV. et V. Privatim II. *Ciceronis librum de legibus* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. h. VI. III. *Platonis Phaedrum* enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. V.

GUSTAVUS GUILELMUS KOERBER, Dr. Gratis I. *De philosophia Schopenhaueriana eiusque vi in scientiam naturalem* disseret d. Merc. et Sat. h. XII. Privatim II. *Repetitorium botanicum* offert d. Lun. et Iov. h. IV.

PAULUS EDUARDUS CAUER, Dr. Gratis. *Geographiam Graeciae antiquae* docebit d. Merc. et Ven. h. XII.

GUSTAVUS FRIDERICUS GUILELMUS SUCKOW, Dr. Gratis. *Isagogen in universa Platonis scripta* tradet d. Sat. h. VII. mat.

EDUARDUS MAXIMILIANUS ROBERTUS GROEGER, Dr. Privatim *Philosophiam Fichtianam* exponet dieb. Lun. Merc. Ven. h. III.

FERDINANDUS IULIUS COHN, Dr. Publice I. *De plantis bestiolisque microscopicis* disseret *adiunctis demonstrationibus* bis per hebd. Privatissime II. *Eorum, qui plantarum anatomiae, physiologiae, evolutioni operam dabunt, exercitationibus microscopicis* praeerit bis per hebd.

CAROLUS IULIUS BERGIUS, Dr. Lectiones non habebit.

IMMANUEL OGINSKI, Dr. Gratis I. *Introductionem in philosophiam* docebit d. Lun. et Mart. h. V. Privatim II. *Philosophiam medii aevi* enarrabit dieb. Merc. Iov. Ven. Sat. h. V. III. *Linguae philosophiam* adscito libro cui nomen est System der Sprachwissenschaft von C. W. L. Heyse, Berlin 1856 docebit d. Ven. et Sat. h. XI. IV. *Platonis de republica libros cum philologorum tum philosophorum lege et more* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Merc. h. XI.

EDUARDUS MAGNUS, Dr. Gratis I. *Selecta scriptorum Arabicorum ad intelligendum faciliorum capita* explicabit ter per hebd. h. VI. mat. II. *Rabbi Tanchumi Hierosolymitani, interpretis Iudaeorum illustrissimi, in libros Samuelis et regum commentarium sermone Arabico conscriptum* interpretabitur (sec. Haarbrückeri editionem Lips. 1844) bis per hebd. h. VI. mat. III. *Linguae Chaldaicae grammaticam* exponet, *adjuncta capitum Vet. Testamenti Chaldaicorum interpretatione grammatica*, bis per hebd. h. VII. mat. Privatim IV. *Linguam Hebraicam* docebit, *grammaticam* ter per hebd. h. XII. tradens *interpretandique Veteris Testamenti exercitationes* bis per hebd. h. XII. instituens.

IACOBUS BERNAYS, Dr. Gratis. *De historia philologiae recentioris* disputabit d. Merc. et Iov. h. V.

FRIDERICUS HERMANNUS BERTHOLDUS RUMPELT, Dr. Privatim I. *Grammaticam Gothicam* tradet atque *Ulfilam* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. V. Privatissime II. *Exercitationes Germanice scribendi disputandique* instituet d. Merc. h. XI.

ARMINIUS MARBACH, Dr. Gratis I. *De galvanismo* disseret bis per hebd. Privatim II. *Physicen* docebit et *experimentis* illustrabit quinquies per hebd. h. XII.

FRIDERICUS GUILELMUS PFEIFFER, Dr. Privatissime et gratis I. *Exercitationes Germanicas*, ut solet, moderabitur. Gratis II. *Leges metricas linguae Islandicae* tradet et interpretabitur *Eddam quam vocant antiquiorem* d. Mart. et Iov. h. VIII. Privatissime III. *Grammaticam Anglosaxonicam* docebit et *carmen de Andrea* explicabit d. Merc. et Sat. h. VIII.

RICHARDUS COLMARUS GRUENHAGEN, Dr. Gratis I. *De historia germanica medii aevi* disseret bis per hebd. Privatim II. *De geographia historica regni Borussici* disseret, bis per hebd.

HENRICUS EDUARDUS SCHROETER, Dr. Gratis I. *De aequationibus differentialibus partialibus* disseret bis per hebd. h. XII. Privatim II. *Sectiones conicas methodis geometricis* tractabit d. Mart. et Ven. h. IX. et X.

MAXIMILIANUS THEODORUS KAROW, Dr. Gratis I. *Linguae Francogallicae veteris grammaticam* tradet *selectaque et scriptorum et poëtarum inde ab antiquissimis temporibus usque ad annum MD. capita* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VI. mat. II. *De Waldensium et pristina et hodierna dialecto* disseret *eorumque libros, qui de rebus divinis dialecto illa conscripti feruntur*, illustrabit d. Merc. et Sat. h. VI. mat. III. *Grammaticam Hispaniensem paucis complexus cum de re scenica apud Hispanos, tum de Calderonis vita, ingenio, fabulis disseret ejusdemque poëtae fabulas explicabit tres, quibus nomina indita sunt La vida es sueño, El principe constante, El magico prodigioso* dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. mat.

IOANNES LANDOLT, Dr. Privatissime et gratis I. *De corporum aëriformium analysi chemica* disseret bis per hebd. Privatim II. *Voluminum ratiocinandorum analysin chemicam* tradet bis per hebd.

IOANNES THEODORUS MOSEWIUS, Dr. Gratis I. *Eorum, qui ecclesiae evangelicae cantica composuerunt, memoriam* recolere *modorumque ecclesiasticorum rationem* tradere perget bis per hebd. II. *Vocis ad cantum formandae rationem* explicabit *adiunctis exercitationibus*, bis per hebd. III. *Tetraphonia canendi exercitationes* instituet, bis per hebd.

EXPEDITUS BAUMGART, Dr. Privatissime et gratis I. *Exercitationes harmonicas* moderabitur semel per hebd. II. *Leges harmonicas* docebit, binis hor. III. *Organi pulsandi artem* docebit binis hor.

LECTORES LINGUARUM.

CHRISTOPHILUS HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Selecta librorum historicorum Vet. Testamenti capita* tractabit ter per hebd. h. def. Privatim II. *Grammaticam Hebraicam exemplis e Vet. Testamento petitis* docebit ter per hebd. h. def.

AUGUSTUS THEODORUS PEUCKER, Dr. Gratis I. *Graecorum recentiorum linguam* docebit d. Lun. et Iov. h. III. II. *Linguae Hispanicae rudimenta* tradet bin. hor. audit. comm.

ARMINIUS EDMUNDUS OTTOMARUS BEHNSCH, Dr. Gratis I. *Shakespearii Iulium Caesarem* interpretabitur bis per hebd. Privatim II. *Linguae Anglicae elementa grammatica* tradet bis per hebd.

ALEXANDER MAROCHETTI, Lect. Gratis I. *Linguae Italicae rudimenta* docebit d. Mart. et Ven. h. II. Privatim II. *Ioannis B. Guarini pastorem fidum* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. II. Privatissime III. *Francisci Petrarcae carmina tesseradecasticha* explicabit d. Lun. et Iov. h. II.

GEORGIUS CAROLUS BOECKEL, Lect. Gratis I. *Molierii fabulam „le Tartuffe"* explicabit bis per hebd. Privatim II. *Linguae Gallicae grammaticam* tradet bis per hebd.

IOANNES NICOLAUS FRITZ, Lect. Gratis I. *Linguae Polonicae grammaticam* docebit atque *exercitationes voce et litteris vertendi* instituet, duce libello suo, in quo linguae Polonicae elementa traduntur d. Mart. et Ven. h. III. *Maiora nonnulla capita eius libri, qui inscribitur Ioan. Rymarkiewicz, Wzory Prozy Polskiej,* exponet d. Iov. h. III.

VINCENTIUS KRAIŃSKI, Dr. Lector hon. Gratis I. *Linguam Polonicam triplici discentium ordine instituto* docebit sexies per hebd. II. *Litterarum Polonicarum historiam* enarrabit quater per hebd. III. *Eloquentiam sacram Polonice* tractabit bis per hebd.

Artem vel graphide delineandi vel penicillo imitandi docebit *Siegert*, rerum, quae ad physicam pertinent, delineandarum *Weitz*, taxidermiam *Rotermund*, artem equitandi *Preusse*, batuendi *Loebeling*, saltandi *Arene*.

Bibliothecae Academicae lecturis apertae patebunt diebus Lun. Merc. Iov. Sat. hor. II. et III., libros petituris et reddituris dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. hor. XI. Leges indicat scheda in coenaculo studiis dicato proposita. Bibliotheca Studiosorum propria patebit dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. II—V. Ex reliquis tribus urbis bibliothecis Rehdigerana cum Burgiana ad aedem S. Elisabethae consociata patebit dieb. Merc. et Sat. ab hora II. ad IV.; ea autem, quae est ad aedem S. Bernardi, singulis diebus Iovis eisdem horis; de tertia, quae ad aedem S. Mariae Magdalenae servatur, conveniendus singulis diebus Saturni ab hora X. ad XII. bibliothecarius est, qui est gymnasii M. Magdalenensis rector.

Collectiones rerum et instrumentorum ad physicam, astronomiam, anatomen, physiologiam, zoologiam pertinentium, laboratorium chemicum, artis et antiquitatum Museum et pinacotheca inspiciendi venia suo loco et tempore impetrata monstrabuntur. Hortus botanicus, diebus Veneris omnibus apertus, commilitonibus aliisque rei herbariae studiosis etiam reliquis per aestatem diebus, exceptis dominicis, tessera ab horti directore impetrata patebit. Hortulano eius semel per hebdomadem certum plantarum numerum ad condendum vendere commilitonibus licet.